



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Agenda S. Coloniensis Ecclesiae. Hoc Est: Liber Pastoralis

Ferdinand <Köln, Erzbischof>

Coloniae Agrippinae, 1614

Cura illorum qui in extremo mortis agone versantur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39761

CVRA ILLORVM QVI IN
EXTREMO MORTIS AGONE
VERSANTVR.

Agonizantibus primum omnium porrigendus est cereus accensus. Tum legendæ eadem Litaniz quæ vnctioni sacræ insertæ sunt; & subiiciendi Psalmi ad hanc rem accommodati; quales sunt, 6. 7. 21. 22. 24. 26. 27. 29. 30. 31. 37. 39. 40. 41. 50. 68. 69. 70. 76. 85. 90. 101. 114. 115. 120. 121. 122. 123. 124. 129. 137. 138. 139. 140. 141. & 142. Et maximè hic postremus.

Sequens oratio quoque pro Agonizante & ex persona ipsius recitari poterit, facie ad Christum crucifixum conuersa.

Domine Iesu Christe, qui pro me in agone montis Oliuarum, sanguinem simul & aquam largiter defudans, & in oratione procumbens, cum clamore valido & lacrymis te ipsum offerens, exauditus es pro reuerentia tua; & pro me exauditus: pietatis tuæ abundantiam simplex adoro & obsecro; vt hanc mihi luctâ, tui certaminis merito efficias salutarem. Ignosce peccatis meis; & mitte mihi Angelum confortantem, qui aduersus satanicas potestates me tueatur, qui diaboli vires conterat, qui in hoc me agone corroboret, qui deducat per ignotas quas ingressurus sum semitas in viam salutis æternæ.

Domine Iesu qui pro me in patibulo crucis, amarissimam iuxta atq; probrosissimam mortē sustinuiſti; oro te vt in his angustijs constituto miserearis. Adspicio te qui in hac salutis ara pro me te ipsum obtulisti sacrificiū Patri in odorem suauitatis: ne quæso pereat mihi fructus effusi

T t 2

pro

Psal. 101. pro me sanguinis tui. Tu similis factus es Pellicano solitudinis, apertione pectoris tui nos viuificans. Inclina ad me caput & faciem tuam, & osculare me osculo reconciliationis tuæ. Extende ad me brachia tua, vt in misericordia tua me suscipias. Transfixos pedes tuos adoro, & videas si via iniquitatis in me est, & me deducas in viam æternam. In crucis tuæ sacrificio, inexhaustum agnosco pretium, & miserationum tuarum infinitam abyssum.

Psal. 68. **E**t ego qui abyssus sum iniquitatis & miseriarum, qui me ipsum demersi in profundum iniquitatum mearum, qui infixus sum in Limo profundi, vbi non est substantia; qui veni in altitudinem maris, & tempestas, volente me, demersit me; supplex oro, vt me de luto eripias, vt non infigar, vt me liberet ab his qui oderunt me & de profundis aquarum. Non me demergat tempestas aquarum, neq; absorbeat me profundum, nec virgeat super me puteus os suum. Tu Domine eruisisti animam meam de inferno inferiori, tu de abyssis terræ eduxisti me; educ me de lacu miseriarum, & de luto facis. Adiuua me mysterio crucis tuæ, & retine in ara crucis tuæ sursum erectum; ne denovo subsidam, sed in longanimitate erigar semper; & perseverans in ascensu, sim semper in numero illorum de quibus dixisti; Ego si exaltatus fuero à terra omnia traham ad me ipsum. Inter tractos & ex abyssu iniquitatis & miseriarum sursum sublato, admitti cupio misericors Domine. Tu enim es assumptio nostra, tu ascensor noster es; qui pro nobis patibulum ascendisti; A tuarum misericordiarum & meritorum abyssu nos extrahi; & de profundo, hoc est absq; vilo merito nostro, attolli debemus:

Psal. 85.
Psal. 70.
Psal. 39.
Ioan. 12. vt tibi

vt tibi perpetuò in coelestibus inhæreamus. Expandisti ad nos brachia tua; vt inter aduersa & prospera, à dextris & à sinistris, ad te indefessi ascendamus; & ad te attracti, in te, conquietcamus.

Tu suffixus in cruce pendens, septem prolocutus es verba, pietatis & mysterio plena; in quibus meã operatus es salutẽ. Oro te ergo, vt sicut in capite testamenti tui, inimicos tuos ponere dignatus es, & Patrem tuum pro inimicis orans dixisti, Ignosce illis quia nesciunt quid faciunt; ita ignoscas omnibus qui verbo, facto, voluntate, *Luca. 23.* aut proposito, quaquaratione mihi nocuerunt. Ego illis toto pectore ignosco, & offensam omnẽ lubens remitto, Ignosce & tu mihi, per tuam illam ad crudelissimos inimicos extensam charitatem; & condona omnia, in proximos meos à me admissa peccata.

Tu qui pœnitentem latronem à tua misericordia non repulisti, me quoque de peccatis meis dolentẽ ne reijcias. Peto quod petiuit latro pœnitẽs vt mei in regno tuo me- *Luca 23.* mor esse digneris, ac vt regni tui cõsortium, quod indigno mihi promisisti, adipisci merear; audiã obsecro nunc vocem illam quam ad latronẽ prolocutus es, hodie mecum eris in Paradiso, aut certẽ illam: Eris mecum in Paradiso, vbi tecum, & in te beata perfruar immortalitate.

Et quod meis meritis non debetur, sanctissimæ matris tuæ (quæ peccatorum refugium est & aduocata, & celi ac paradisi porta) pro me impetret intercessio. Tu tuam ma- *Hebr. 2.* *Ioan. 19.* trem, etiã nostram esse voluisti (quæ tua est dignatio:) qui non es confusus fratres nos vocare. & D. Ioanni, ac in illo

T t 3 omni-

omnibus nobis dixisti; Ecce mater tua. Matrem agnosco & matrem gratiæ, matrem misericordiæ: obsecrans vt eam in hac necessitate præsentem sentiam & auxiliatricem; vt ipsa misericordes oculos suos ad me conuertat, vt ab hoste protegat, in hora mortis suscipiat, vt Iesum benedictum filium suum post hoc exilium mihi ostendat: vt tecum post mortem, per ipsam, & cum ipsa in cælis merear gaudere. Itidemque faciant S. Ioannes, D. Magdalena, & sancti omnes, quibus in Virgine matre, fraterna sum necessitudine coniunctus. Illorum omnium interuentu ac meritis, in hac angustia mea adiuuari cupio, & ad illorum post vitam hanc, consortium à tua misericordia admitti.

Matt. 27. **N**e derelinquas me Domine ne discedas à me, neque despicias me Deus salutaris meus. Propter me, tu non ab hominibus tantum, sed à patre quoque cælesti desertus es: qui, quam tuis doloribus adferre mitigationem poterat, propter nos vtique negauit. Desertionem illam nos merebamur qui te priores deseruimus: te inquam qui non nisi desertus, deseris mortales, & qui desertione illa voluntariè admissa, eam cultoribus tuis gratiam promeruisti, vt doloribus atque angustijs pressi, tuis attollantur consolationibus. Alleuia quæso dolores meos; ne elongeris à me, & ne me proijcias à facie tua; sed vultus tui lumine misericorditer recrea me & illustra. Nec obstet aut impediatur quod indignissimè sæpissimeque peccando à te recessi, teque deserui; dignus propterea qui à vultu tuo in æternum proijciar. Nam hæc orans, nulla obtendo merita;

merita; sed pietatis tuæ effusam imploro abundantiam; vt qui supplicantium & merita excedis & vota, effundēs super me misericordiam tuam, dimittas quæ conscientia metuit, & adijcias quod oratio & orantis indignitas non præsumit. A facie igitur tua ne me repellas; sed illumina nunc vultum tuum super me, & miserere mei: ac ad faciei tuæ felicissimam visionem post hanc vitam misericorditer admitte.

Sitiuisti Domine in cruce pendens salutem meam, Job. 19. siti-
 uisti fidem meam, redemptionem meam; & sitire te ex-
 clamasti. Ad hanc explendam sitim, totis triginta tribus
 annis laborasti. En ego sicut fœnum arui & anima mea Psal. 101.
 & 142. sicut terra sine aqua tibi. Ideo expandi manus meas ad te
 Domine, qui dixisti; Si quis sitit, veniat ad me & bibat.
 Et, qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ Ioan. 7.
 viuæ. Tu solus explere sitim meam potes, & largiri, vt hau-
 riam aquas in gaudio de fontibus vulnerum tuorum, &
 de aquarum viuentium puteo; hoc est non ex vlllo merito
 meo, sed ex profunda tuarum miserationum abyfso. Pro-
 pter me sitire voluisti Domine, vt refrigerium mihi præ-
 stares. Refrigerera quæso animam meam salutaribus aquis,
 vt vitiosus omnis æstus & prauæ omnes in me absorbeā-
 tur cupiditates. Refrigerera me Domine priusquam ab- Psal. 38.
 eam, & amplius nō ero: vt cum hic esse defiero, in locum
 refrigerij transire queam, & diuitis illius epulonis in tor- Luca 16.
 mentis inferni perpetua siti excruciatu, supplicium eua-
 dere. Per illam denique arentissimam sitim tuam, oro
 vt in me excites sitim viuifici fontis illius, & celestium
 aquarum

Psal. 35. aquarum de quibus dicitur in Psalmo, inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos, quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. Sitim illam verè salutarem, & nunc in me opto excitari; & post hanc vitam expleri; vt non fruiam in æternum; sed vna cum sanctis tuis omnibus, ab vberibus consolationis supernæ Ierusalem exatiari merear & inebriari.

Isai. 66. Hic fructus est copiosissimi & sufficientissimi pretij tui: quod pendens in cruce pro nobis depēdisti. Vbi cum hostes tui consummassent omnia quæ de te prænunciata erant, dixisti; Consummatum est. Et verè hîc consummabantur omnia; & tu vnica ista oblatione consummasti in sempiternum sanctificatos: hoc est, abs te vt sanctificarentur, Patri tuo oblatos & sanctificatos, integrè plenissimeque redemisti. Sim obsecro in numero sanctificationum, & sacrificatorum illorum: qui te fidei meæ vt authorem, ita & consummatorem agnosco. Fidem christianam & catholicā gratuito tuo munere mihi donasti: Esto & fidei meæ consummator: ne ea vacillet, aut nutet in extremo hoc certamine. Et cum nihil iam tuæ desit cōsummationi, nihil nostræ redemptioni; sit hoc fortissimum mihi solatium; ne spes in me christiana labascet: sed eam sicut anchoram animæ tutam firmam, & vsque ad interiora velaminis incedentem, in finem vsque retineam. Consummetur quoque & consumatur in me iniquitas omnis; finem in me accipiat peccatum, & iniustitia omnis deletur. Reatus omnis peccatorum, omnes peccatorum

torum reliquæ, & ad temporalem pœnam obligatio; sufficientissima tua satisfactione plenissimè aboleatur.

Et quemadmodum in manus Patris tui moriens, tuū *Luca 23.* commendasti spiritum; ita ego meam animam in tuam misericordiam resigno; vt primum quidem ab omni carnis affectu atque amore omniq̃ue carnalitate mens mea purgetur, (quæ mors est spiritualis; qua iustorum morte, hoc est morte spirituali, animæ nostræ moriuntur). Deinde vt è corporis huius ruinoso domicilio emigrans, à te in sorte sanctorum collocanda anima mea, & visionis diuinæ lætificanda aspectu, benignè suscipiatur. Acerba est hæc lucta mea Domine; sed in te est fiducia mea, qui es refugium & robur meum, da ergo vt non circumueniar à mortis authore & principe diabolo: cuius nota sunt studia & cogitationes. Illumina oculos meos ne vnquam *Psal. 12.* obdormiam in morte; nequando dicat inimicus meus, præualui aduersus eum. Adest ille vt tentet, adest vt accuset. Tu depelle & dissipa conatus illius: & qui nostri causa, vt in tremendo tuo iudicio ab accusatore fratrum diabolo tuti esse possemus, calumnias iniquissimas ipse pertulisti; obsecro vt in hora exitus mei de hoc ergastulo corporis, eundem illum, accusare me & grauare volentem calumniatorem confundas. Interueniant merita & preces Deiparæ virginis Mariæ, quæ caput serpentis contriuit. Interueniat electus tuus Archangelus Michaël, militiæ cælestis Princeps: qui draconem illum præliando prostrauit. Intercedat beatissimus confessor tuus & Pontifex Martinus, qui cruenta illa à se profligata belua, in

Abrahæ sinum receptus est. Sàctorum deniq; omnium merita pro me interueniant; qui diabolo deuicto, tuæ mortis merito læti iam obdormierunt & requiescunt à laboribus suis. Ad horum consortium vt pertingere valeam, rugientis inimici sæuitiam cōpesce Domine, eompesce etiam impij calumniatoris accusationem, qua me apud tuam iustitiam opprimere conabitur. Scio in multis reum me esse, & tuæ iustitiæ obstrictum: sed pone obsecro passionem crucem & mortem tuam inter iudiciū tuum, & animam meam nūc & in exitu illius. At vt possim in misericordia & miserationibus multis à te iudicari, ne intres in iudicium cum seruo tuo Domine: quia nō iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Suscipiat me S. Michaël Præpositus paradisi, quem principem constituisti super omnes animas suscipiendas, ille me ab impio calumniatore liberatum in sinum misericordiæ tuæ transferat: & hinc iam egredientem liberet de ore leonis, ne me absorbeat tartarus; ne cadam in obscura tenebrarū loca; sed signifer ille tuus, repræsentet me in lucem sanctam; quam olim Abrahæ promifisti & semini eius: deducat ille me in paradysum exultationis & in requiem æternam. Mors tua ô Christe sit mea vita, & qui propter me efflasti animam tuam, crea in me cor mundū, & spiritum rectum innoua in visceribus meis, ne proijcias me à facie tua, & spiritum sanctum tuum ne auferas à me. Redde mihi lætitiā salutaris tui, & Spiritu principali confirma me: vt corporis mortem subiens, non maneam in morte, sed trāseam à morte ad vitā. Largire ergo claram hanc

psalm. 50.

hanc mihi vesperam, quò vita nusquam decadat; & ne vivere desinam: sed præmium & pretium sacratissimæ mortis tuæ perennem mihi conferat gloriam, & perennem vitam. Quæ omnia vt adipisci & promereri valeam; ad te Redemptorem meum cõfugiens, & in te solo confidens, configi cupio cruci tuæ, commori tibi, consepeliri, conresuscitari, confidere tecum & conregnare in cælestibus: qui cum Patre & Spiritu sancto viuis & regnas Deus per omnia sæcula sæculorum.

Breues & ejaculatoriæ preces in morte, & ex persona morientis dicenda.

SVscipe me Domine secundum eloquium tuum, & viuam, & non confundas me ab expectatione mea. Et, Quæ est expectatio mea? non ne Dominus?

Ne proijcias me Domine in tempore senectutis, cum defecerit virtus mea ne derelinquas me.

Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris Domine.

Ab occultis meis munda me Domine: & ab alienis parce seruo tuo.

Domine Iesu suscipe spiritum meum. Deus meus misericordia mea.

Iesu bone, misericordiarum Pater, &

V V 2

totius

totius consolationis, misericordiam fac mihi
pauperulæ creaturæ tuæ.

Deus refugium nostrum & virtus, adiuua
me in hac extrema necessitate, succurre ani-
mæ egenti & desolatæ; ne à canibus infernali-
bus deuoretur.

Domine ne in furore tuo arguas me, neque
in ira tua corripas me.

Dulcissime Domine Iesu Christe, ob ho-
norem & virtutem tuæ benedictæ passionis,
iube me adscribi in numerum electorum tuo-
rum.

Domine Iesu Christe fili Dei viui, pone
passionem crucem & mortem tuam, inter iu-
dicium tuum & animam meam.

Creator & redemptor meus Iesu Christe,
totum me tibi dedo, non me renuas: ad te ve-
nio, non me repellas.

Nunc Domine secundum voluntatem
tuam fac mecum misericordiam, & præcipe
in pace recipi spiritum meum.

Sonet in mentis meæ auribus vox illa dul-
cis, Hodie mecum eris in Paradiso.

In manus tuas Domine, commendo spiri-
tum meum.

Nunc

Nunc dimittis seruum tuum Domine, &c.

Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.

Deinde saluet Virginem Deiparam, dicens:

Maria mater gratiæ, mater misericordiæ: tu nos ab hoste protege; & hora mortis suscipe.

Ad S. Michaëlem.

SAncte Michaël Archangele, quem principem Dominus constituit super omnes animas suscipiendas, defende me in hoc prælio, vt non peream in tremendo Dei iudicio: sed suscipe metuendum contra principem tenebrarum; & ex ergastulo carnis egredientem deduc in paradisum exultationis.

Ad reliquos SS. Angelos.

Spiritus cælorum, Angeli beatissimi, assistite, quæso, mihi migranti ex hoc sæculo, & potenter eripite me ab immundorum spirituum insidijs, & animam meam in vestrum consortium assumite: Tu præcipuè Angele bone, custos meus.

Vv 3

Postremo

*Postremò Sanctos & Sanctas, quos singulari obser-
uantia coluit, precibus ad auxilium suum inuis-
tet, dicens:*

O Gloriosissime sancte **N.** (vel sancta) **N.**
quem (quam) mihi vt patronum (patro-
nam) in hac vita delegi, etsi non pro digni-
tate colui; nunc maximè (si vnquam aliàs) tuo
est mihi opus auxilio: succurre igitur, & in
hoc necessitatis meæ articulo, & intende in
adiutorium meum: vt apud misericordem
Dominum, qui non vult mortem peccato-
ris, misericordiam possim inuenire: & is qui
calcaneo meo insidiatur, nihil in me inue-
niat, vnde figat dentem, & vulnus infligat:
sed tuis munitus suffragijs, in misericordia
suscipiar; & transeam à morte ad vitam. A-
men.

*Deinde cum in agone sui exitus anima anxietur, dicantur
sequentes Orationes.*

Proficiscere anima Christiana de hoc mū-
do, In nomine Dei Patris omnipotentis,
qui te creauit: In nomine Iesu Christi filij Dei
viui, qui pro te passus est: In nomine Spiritus
sancti qui in te effusus est, **Resp.** Amen.

In

In nomine Angelorum & Archāgelorum:
 In nomine Thronorum & Dominationum:
 In nomine Principatum & Potestatum: In
 nomine Cherubin & Seraphin: In nomine
 Patriarcharum & Prophetarum: In nomine
 sanctorum Apostolorum & Euangelistarum:
 In nomine sanctorum Martyrum & Confes-
 sorum: In nomine sanctorum Monachorum
 & Eremitarum: In nomine Virginum, & o-
 mnium sanctorum & sanctarum Dei. *Resp.*
 Amen.

Hodie sit in pace locus tuus, & habitatio
 tua sit in sancta Sion. Per eundem Dominum
 nostrum. *Resp.* Amen.

Oratio.

DEus misericors, Deus clemens: Deus qui
 secundum multitudinem miserationum
 tuarum, peccata poenitentium deles, & præ-
 teritorum criminum culpas, venia remissio-
 nis euacuas: respice propitius super hunc fa-
 mulum tuum (*hanc famulam tuam*) *N.* & re-
 missionē sibi omnium peccatorum suorum,
 tota cordis confessione poscentem, depreca-
 tus exaudi: renoua in eo (*ea*) pijssime Pater,
 quid-

quidquid terrena fragilitate corruptum, vel quidquid diabolica fraude violatum est, & vnitati corporis Ecclesiæ, membrum redemptionis annecte. Miserere Domine gemitū, miserere lachrymarum eius; & non habentem fiduciam, nisi in misericordia tua, ad tuę Sacramentum reconciliationis admitte. Per Christum Dominum nostrum. **Resp. Amen.**

Commando te omnipotenti Deo, charissime frater; & ei, cuius es creatura, committo: vt cum humanitatis debitū, morte interueniente persolueris, ad auctorem tuum, qui te de limo terræ formauerat, reuertaris. Egredienti itaq; animæ tuæ de corpore, splendidus Angelorum chorus occurrat: iudex Apostolorum tibi senatus adueniat: candidatorū tibi Martyrum triumphator exercitus obuiet: liliata rutilantium te Confessorum turba circumdet: iubilantium te Virginum chorus excipiat, & beatæ quietis in sinum Patriarcharum te complexus adstringat. Mitis atque festius Christi Iesu tibi aspectus appareat: qui te inter assistentes sibi iugiter interesse decernat. Ignoret omne quod horret in tenebris, quod stridet in flammis, quod cruciat in

tor-

tormentis. Cedat tibi deterrimus satanas cum satellitibus suis: in aduentu tuo, te comitantibus Angelis contremiscat, atque in æternæ noctis chaos immane diffugiat. Exurgat Deus & dissipentur inimici eius; & fugiant qui oderunt eum à facie eius: sicut deficit fumus, deficiant; sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei, & iusti epulentur & exultent in cōspectu Dei. Confundantur igitur & erubescant oēs tartaræ legiones, & ministri satanæ iter tuum impedire nō audeant. Liberet te à cruciatu Christus, qui pro te crucifixus est. Liberet te à morte Christus, qui pro te mori dignatus est. Constituat te Christus, filius Dei viui, intra paradisi sui semper virentia; & inter oves suas te verus ille Pastor agnoscat: Ille ab omnibus peccatis tuis te absoluat, atque ad dexteram suam in electorum suorū te sorte constituat. Redemptorem tuum facie ad faciem videas, & præsens semper manifestissimam beatis oculis aspicias veritatem. Constitutus igitur inter agmina beatorum, contemplationis diuinæ dulcedine potiaris in sæcula sæculorū. **Resp.**

Amen.

X x

Oratio.

Oratio.

SVscipe Domine, seruum tuum (**ancillam tuam**) in locum sperandæ sibi saluationis, à misericordia tua. **Resp.** Amen.

Libera Domine animam serui tui, (**ancillæ tuæ,**) ex omnibus periculis inferni, & de laqueis poenarum, & ex omnibus tribulationibus. **Resp.** Amen.

Libera Domine animam serui tui, (**ancillæ tuæ,**) sicut liberaisti Enoch & Eliam de communi morte mundi. **Resp.** Amen.

Libera Domine animam serui tui, (**ancillæ tuæ,**) sicut liberaisti Noë de diluuiio. **Resp.** Amen.

Libera Domine animam serui tui, (**ancillæ tuæ,**) sicut liberaisti Abraham de Vr Chaldeorum. **Resp.** Amen.

Libera Domine animam serui tui, (**ancillæ tuæ,**) sicut liberaisti Iob de passionibus suis. **Resp.** Amen.

Libera Domine animam famuli tui, (**ancillæ tuæ,**) sicut liberaisti Isaac de hostia, & de manu patris sui Abrahæ. **Resp.** Amen.

Libera Domine animam serui tui, (**ancillæ tuæ,**) sicut liberaisti Loth de Sodomis, & de

de flamma ignis. *Resp.* Amen.

Libera Domine animam serui tui, (*ancillæ tuæ,*) sicut liberaſti Moysen de manu Pharaonis, regis Ægyptiorum. *Resp.* Amen.

Libera Domine animam serui tui, (*ancillæ tuæ,*) sicut liberaſti Daniele de lacu leonum. *Resp.* Amen.

Libera Domine animam serui tui, (*ancillæ tuæ,*) sicut liberaſti tres Pueros de camino ignis ardentis, & de manu regis iniqui. *Resp.* Amen.

Libera Domine animam serui tui, (*ancillæ tuæ,*) sicut liberaſti Sufannam de falso crimine. *Resp.* Amen.

Libera Domine animam serui tui, (*ancillæ tuæ,*) sicut liberaſti Dauid de manu regis Saul; & de manu Goliæ. *Resp.* Amen.

Libera Domine animam serui tui, (*ancillæ tuæ,*) sicut liberaſti Petrum & Paulum de carceribus. *Resp.* Amen.

Et sicut beatissimam Theclam virginem, & Martyrem tuam, de tribus atrocissimis tormentis liberaſti, sic liberare digneris animam serui (*ancillæ*) huius, & tecum facias in bonis congaudere celestibus. *Resp.* Amen.

Oratio.

Commendamus tibi Domine animam famuli tui, (*famulæ tuæ*), **N.** precamurq; te, Domine Iesu Christe, Saluator mūdi, vt propter quam ad terram misericorditer descendisti, Patriarcharum tuorum sinibus insinuare non renuas. Agnosce Domine creaturam tuam, non ex dijs alienis creatam, sed à te solo Deo viuo & vero: quia nō est alius Deus præter te, & non est secundum opera tua. Lætifica Domine animam eius in cōspectu tuo, & ne memineris iniquitatum eius antiquarum & ebrietatum, quas suscitauit furor siue feruor mali desiderij. Licet enim peccauerit, tamen Patrem, & Filium, & Spiritum sanctū non negauit, sed credidit, & zelum Dei in se habuit, & Deum qui fecit omnia adorauit.

Resp. Amen.

Oratio.

Delicta iuuentutis, & ignorantias eius, quæsumus, ne memineris Domine, sed secundum magnam misericordiam tuam, memor esto illius, in gloria claritatis tuæ. Aperiantur ei cæli, collætentur ei Angeli. In regnum tuum Domine, seruum tuum (*ancillam tuam*)

tuam) suscipe. Suscipiat eum (**eam**) sanctus Michael Archangelus Dei, qui militiae caelestis meruit principatum. Veniant illi obuiam sancti Angeli Dei, & perducant eum (**eam**) in ciuitatem caelestem Hierusalem. Suscipiat eum (**eam**) beatus Petrus Apostolus, cui à Deo clauis regni caelestis traditæ sunt. Adiuuet eum (**eam**) sanctus Paulus, qui dignus fuit esse vas electionis. Intercedat pro eo (**ea**) sanctus Ioannes electus Dei Apostolus, cui reuelata sunt secreta caelestia. Orent pro eo (**ea**) omnes sancti Apostoli, quibus à Domino data est potestas ligandi atq; soluendi. Intercedant pro eo (**ea**) omnes sancti Dei, qui pro Christi nomine tormenta in hoc saeculo sustinuerunt, vt vinculis carnis exutus (**exuta**) peruenire mereatur ad gloriam regni caelestis: præstante Domino nostro Iesu Christo, Qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat in saecula saeculorum. **Resp.** Amen.

Possunt hic subijci Psalmi 117. & 118. qui in Breuarijs & Dominicalibus passim reperiuntur: vel potius septem Psalmi poenitentiales.

Xx 3**Post**

Post exhalatam animam dicantur sequentia.

Resp. Subuenite sancti Dei; occurrite An-
geli Domini suscipientes animam eius, ✠
Offerentes eam in conspectu altissimi. Resp.
Suscipiat eam Christus qui vocauit eam, & in
sinum Abrahæ angeli eam deducant. ✠ **O**f-
ferentes. Requiem æternam. ✠ **O**fferentes.
Psal. Misere, **D**e profundis, **Et, Domine**
exaudi orationem meam, auribus percipe,
&c.

Et in fine singulorum: Requiem æternã dona eis, &c.
Kyrie eleison. **Christe** eleison. **Kyrie** eleison. **Pater** no-
ster.

Verf. **E**t ne nos inducas in tentationem.

Resp. **S**ed libera nos à malo.

Verf. **R**equiem æternam dona ei Domine.

Resp. **E**t lux perpetua luceat ei.

Verf. **A** porta inferi.

Resp. **E**rue Domine animam eius.

Verf. **R**equiescat in pace.

Resp. **A**men.

Verf. **D**omine exaudi orationem meam.

Resp. **E**t clamor meus ad te veniat.

Verf. **D**ominus vobiscum.

Resp. **E**t cum spiritu tuo.

Oremus.

Oremus.

Tibi Domine commendamus animam famuli tui, (*famulæ tuæ,*) **N.** vt defunctus (*defuncta*) seculo tibi viuat: & quæ per fragilitatem humanæ conuersationis peccata commisit, tu venia misericordissimæ pietatis absterge. Per Christum Dominum nostrum. **Resp.** Amen.

Deinde Sacerdos dicit: **K** yrie eleison. **C** hriste eleison. **K** yrie eleison. **P** ater noster.

Verf. **E** t ne nos inducas in tentationem.

Resp. **S** ed libera nos à malo.

Verf. **I** n memoria æterna erunt iusti.

Resp. **A** b auditione mala non timebunt.

Verf. **N** e tradas bestijs animas confitentium tibi.

Resp. **E** t animas pauperum tuorum ne obliuiscaris in finem.

Verf. **N** on intres in iudicium cum seruo tuo Domine.

Resp. **Q** uia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.

Verf. **A** porta inferi.

Resp. **E** rue animam eius.

Verf. **R** equiescant in pace. **Resp.** Amen.

Verf. **D** omine exaudi orationem meam.

Resp. **E** t clamor meus ad te veniat.

Verf. **D** ominus vobiscum. **Resp.** **E** t cum Spiritu tuo.

Oremus.

Oremus.

SVscipe Domine animam famuli tui (*famulæ tuæ*) quam de ergastulo huius sæculi vocare dignatus es: libera eum (*eam*) de locis poenarum; quietis & pacis æternæ beatitudine perfruatur, & inter sanctos & electos tuos in resurrectionis gloria resuscitari mereatur. Per Christum Dominum nostrum.
Resp. Amen.

SEPTEM PSALMI POENITENTIALES CVM LITANIIS

Antiphona. Ne reminiscaris.

Psalmus 6.

Domine ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripas me.

Miserere mei Domine quoniam infirmus sum: sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.

Et anima mea turbata est valdè: sed tu Domine usquequo?

Conuertere Domine, & eripe animam meam: saluum me fac propter misericordiam tuam.

Quoniam non est in morte qui memor sit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?

Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum: lachrymis meis stratum meum rigabo.

Turba-

Turbatus est à furorē oculus meus: inueteraui inter omnes inimicos meos.

Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem: quoniam exaudiuit Dominus vocem fletus mei.

Exaudiuit Dominus deprecationem meam: Dominus orationem meam suscepit.

Erubescant & conturbentur vehementer omnes inimici mei: conuertantur & erubescant valdè velociter.

Gloria Patri & Filio, & Spiritui sancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

Psalms 31.

Beati quorum remissæ sunt iniquitates: & quorum tecta sunt peccata.

Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum: nec est in spiritu eius dolus.

Quoniam tacui, inueterauerunt ossa mea: dum clama-rem tota die.

Quoniam die ac nocte grauata est super me manus tua: conuersus sum in ærumna mea dum configitur spina.

Delictum meum cognitū tibi feci: & iniustitiam meam non abscondi.

Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei.

Pro hac orabit ad te omnis sanctus: in tēpore opp'ortuno.

Veruntamen in diluuiō aquarum multarum: ad eum non approximabunt.

Y y

Tu

Tu es refugium meum à tribulatione, quæ circumdedit me: exultatio mea erue me à circumdantibus me.

In intellectum tibi dabo, & instruam te in via hac qua gradieris: firmabo super te oculos meos.

Nolite fieri sicut equ⁹ & mulus: quibus nõ est intellectus.

In chamo & freno maxillas eorum constringe: qui non approximant ad te.

Multa flagella peccatoris: sperantem autem in Domino, misericordia circumdabit.

Lætamini in Domino, & exultate iusti: & gloriamini omnes recti corde.

Gloria Patri, &c. Sicut erat in principio,

Psalms 37.

Domine ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripas me.

Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi: & confirmasti super me manum tuam.

Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ: non est pax ossibus meis, à facie peccatorum meorum.

Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum: & sicut onus graue grauata sunt super me.

Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ: à facie insipientiæ meæ.

Miser factus sum, & curuatus sum, vsq; in finem: tota die contristatus ingrediebar.

Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus: & non est sanitas in carne mea.

Affi-

Afflictus sum, & humiliatus sum nimis: rugiebam à gemitu cordis mei.

Domine ante te omne desiderium meum: & gemitus meus à te non est absconditus.

Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea: & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum.

Amici mei, & proximi mei: aduersum me ~~me~~ appropinquauerunt, & steterunt.

Et qui iuxta me erant, de longè steterunt: & vim faciebant, qui quærebant animam meam.

Et qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates: & dolos tota die meditabantur.

Ego autem tanquam surdus non audiebam: & sicut mutus non aperiens os suum.

Et factus sum sicut homo non audiens: & non habens in ore suo redargutiones.

Quoniam in te Domine speraui: tu exaudies me Domine Deus meus.

Quia dixi, nequando supergaudeant mihi inimici mei: & dum commouentur pedes mei, super me magna locuti sunt.

Quoniam ego in flagella paratus sum: & dolor meus in conspectu meo semper.

Quoniam iniquitatem meam annunciabo: & cogitabo pro peccato meo.

Inimici autem mei viuunt, & confirmati sunt super me: & multiplicati sunt qui oderunt me iniquè.

Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi: quoniam sequebar bonitatem.

Ne derelinquas me Domine Deus meus: ne discesseris à me.

Intende in adiutorium meum: Domine Deus salutis meae.

Gloria Patri, &c. Sicut erat in principio, &c.

Psalms 50.

Miserere mei Deus: secundum magnam misericordiam tuam.

Et secundum multitudinem miserationum tuarum: dele iniquitatem meam.

Amplius laua me ab iniquitate mea: & à peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco: & peccatum meum contra me est semper.

Tibi soli peccaui, & malum coram te feci: ut iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum: & in peccatis concepit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexisti: incerta & occulta sapientiae tuae manifestasti mihi.

Asperges me Domine hyssopo, & mundabor: lauabis me, & super niuem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium & lætitiā: & exultabunt ossa humiliata.

Auerte faciem tuam à peccatis meis: & omnes iniquitates meas dele.

Cor

Cor mundum crea in me Deus : & spiritum rectum innoua in visceribus meis.

Ne proijcias me à facie tua : & Spiritum sanctum tuum nē auferas à me.

Redde mihi lætitiā salutaris tui : & spiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas : & impij ad te conuertentur.

Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ : & exultabit lingua mea iustitiā tuam.

Domine labia mea aperies : & os meum annunciabit laudem tuam.

Quoniam si voluisses, sacrificium dedissem : vtique holocaustis non delectaberis.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus : cor contritum & humiliatum Deus non despicias.

Benignè fac Domine in bona voluntate tua Sion : vt ædificentur muri Hierusalem.

Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ, oblationes & holocausta : tunc imponent super altare tuum vitulos.

Gloria Patri &c. Sicut erat in principio, &c.

Psalms 101.

Domine exaudi orationem meam : & clamor meus ad te veniat.

Non auertas faciem tuam à me : in quacunque die tribulor, inclina ad me aurem tuam.

In quacunque inuocauero te : velociter exaudi me :

Quia defecerunt sicut fumus dies mei : & ossa mea sicut cremium aruerunt.

Percussus sum vt foenum, & aruit cor meum: quia oblitus sum comedere panem meum.

A voce gemitus mei: adhæsit os meum carni meæ:

Similis factus sum Pellicano solitudinis: factus sum sicut nycticorax in domicilio.

Vigilauit: & factus sum sicut passer solitarius in tecto.

Tota die exprobrabant mihi inimici mei: & qui laudabant me, aduersum me iurabant.

Quia cinerem tanquam panem manducabam: & potum meum cum fletu miscebam.

A facie iræ & indignationis tuę: quia eleuans allifisti me:

Dies mei sicut umbra declinauerunt: & ego sicut foenum arui.

Tu autem Domine in æternum permanes: & memoriale tuum in generatione & generationem.

Tu exurgens Domine misereberis Sion: quia tempus miserendi eius, quia venit tempus.

Quoniam placuerunt seruis tuis lapides eius: & terræ eius miserebuntur.

Et timebunt gentes nomen tuum Domine: & omnes reges terræ gloriam tuam.

Quia ædificauit Dominus Sion: & videbitur in gloria sua.

Respexit in orationem humilium: & non spreuit preces eorum.

Scribantur hæc in generatione altera: & populus qui creabitur, laudabit Dominum.

Quia prospexit de excelso sancto suo: Dominus de cælo in terram aspexit.

Vt audiret gemitus compeditorum: vt solueret filios interemptorum.

Vt annuncient in Sion nomen Domini: & laudem eius in Hierusalem.

In conueniendo populos in vnum: & reges vt seruiant Domino.

Respondit ei in via virtutis suæ: paucitatem dierum meorum nuncia mihi.

Ne reuoces me in dimidio dierum meorum: in generatione & generationem anni tui.

Initio tu Domine terrã fundasti: & opera manuum tuarum sunt cæli.

Ipsi peribunt, tu autem permanes: & omnes sicut vestimentum veterascent.

Et sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.

Filij seruorum tuorum habitabunt: & semen eorum in sæculum dirigetur.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

Psalmus 129.

DE profundis clamaui ad te Domine: Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes: in vocẽ deprecationis meæ.

Si iniquitates obseruaueris Domine: Domine quis sustinebit?

Quia

Quia apud te propitiatio est : propter legem tuam sustinui te Domine.

Sustinuit anima mea in verbo eius : speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem : speret Israël in Domino.

Quia apud Dominum misericordia : & copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israël : ex omnibus iniquitatibus eius.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto.

Sicut erat in principio, &c.

Psalms 142.

Domine exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem meam : in veritate tua exaudi me in tua iustitia.

Et non intres in iudicium cum seruo tuo : quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.

Quia persecutus est inimicus animam meam : humiliavit in terra vitam meam.

Collocavit me in obscuris sicut mortuos sæculi : & anxius est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.

Memor fui dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus tuis : & in factis manuum tuarum meditabar.

Expandi manus meas ad te : anima mea sicut terra sine aqua tibi.

Velociter exaudi me Domine : defecit spiritus meus.

Non

Non auertas faciem tuam à me : & similis ero descendentibus in lacum.

Auditam fac mihi manè misericordiam tuam : quia in te speraui.

Notam fac mihi viam, in qua ambulem : quia ad te leuaui animam meam.

Eripe me de inimicis meis Domine, ad te confugi : doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam : propter nomen tuum Domine, viuificabis me in æquitate tua.

Educes de tribulatione animam meam : & in misericordia tua disperdes omnes inimicos meos.

Et perdes omnes qui tribulant animam meam : quoniam ego seruus tuus sum.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Antiphona. Ne reminiscaris Domine delicta nostra, vel parentum nostrorum, neq; vindictam sumas de peccatis nostris.

Z z

L I T A

LITANIÆ.

K Yrie eleison.	
C hriste eleison.	
K yrie eleison.	
C hriste audi nos.	
C hriste exaudi nos.	
P ater de coelis Deus.	Miserere nobis.
F ili redemptor mundi Deus.	Miserere nobis.
S piritus sancte Deus	Miserere nobis.
S ancta Trinitas, vnus Deus	Miserere nobis.
S ancta Maria	Ora pro nobis.
S ancta Dei genitrix	ora pro nobis.
S ancta Virgo Virginum	ora.
S ancte Michaël	ora.
S ancte Gabriel	ora.
S ancte Raphaël	ora.
O mnes Sancti Angeli & Archangeli,	Orate pro nobis.
O mnes Sancti beatorum spirituum ordines,	orate pro.
S ancte Ioannes Baptista	ora.
S ancti tres Reges	orate:
O mnes Sancti Patriarchæ & Prophetæ	orate.
S ancte Petre	ora.
S ancte P aule	ora.
S ancte Andrea	ora:
S ancte Iacobe	ora.
S ancte Ioannes	ora.
S ancte Thoma	ora.
	S ancte

Litaniae

369

S ancte Iacobe	ora.
S ancte Philippe	ora.
S ancte Bartholomæe	ora.
S ancte Matthæe	ora.
S ancte Simon	ora.
S ancte Thadæe	ora.
S ancte Matthia	ora.
S ancte Barnaba	ora.
S ancte Luca	ora.
S ancte Marce	ora.
O mnes Sancti Apostoli & Euangelistæ	orate.
O mnes Sancti discipuli Domini	orate.
O mnes Sancti Innocentes	orate.
S ancte Stephane	ora.
S ancte Laurenti	ora.
S ancte Vincenti	ora.
S ancte Hippolite	ora.
S ancte Felix	ora.
S ancte Nabor	ora.
S ancte Agilolphe	ora.
S ancte Gregori	ora.
S ancte Euergisle	ora.
S ancte Maurine	ora.
S ancte Lamberte	ora.
S ancte Eliphi	ora.
S ancte Albine	ora.
S ancte Quirine	ora.
S ancti Fabiane & Sebastiane	orate.
	S ancti

Z z . 2

Sancti Cosma & Damiane	orate.
Sancti Evvaldi	orate.
Sancte Mauriti cum socijs tuis	orate.
Sancte Gereon cum socijs tuis	orate.
Sancte Cassi cum socijs tuis	orate.
Sancte Victor cum socijs tuis	orate.
Sancti Mauri	orate.
Sancti Felix & Adauete	orate.
Omnes Sancti Martyres	orate.
Sancte Syluester	ora.
Sancte Gregori	ora.
Sancte Ambrosi	ora.
Sancte Hieronyme	ora.
Sancte Augustine	ora.
Sancte Marterne	ora.
Sancte Martine	ora.
Sancte Seuerine	ora.
Sancte Seruati	ora.
Sancte Cuniberte	ora.
Sancte Heriberte	ora.
Sancte Anno	ora.
Sancte Suiberte	ora.
Sancte Nicolae	ora.
Omnes Sancti Pontifices & Confessores	orate.
Omnes Sancti Doctores	orate.
Sancte Antoni	ora.
Sancte Benedicte	ora.
Sancte Bernarde	ora.
	Sancte

Litania.

371

S ancte Dominice	ora.
S ancte Francisce	ora.
O mnes Sancti Monachi & Eremitæ	orate.
O mnes Sancti Sacerdotes & Leuitæ	orate.
S ancta Anna	ora.
S ancta Catharina	ora.
S ancta Maria Magdalena	ora.
S ancta Cecilia	ora.
S ancta Agatha	ora.
S ancta Agnes	ora.
S ancta Margareta	ora.
S ancta Christina	ora.
S ancta Brigida	ora.
S ancta Columba	ora.
S ancta Gertrudis	ora.
S ancta Barbara	ora.
S ancta Lucia	ora.
S ancta Walburgis	ora.
S ancta Ursula cum Sodalibus tuis	orate.
S ancta Helena	ora.
S ancta Elizabeth	ora.
S ancta Afra	ora.
O mnes Sancte Virgines & Vidue	orate.
O mnes Sancti & Sancte Dei	Intercedite pro nobis.
P ropitius esto	Parce nobis Domine.
P ropitius esto	Exaudi nos Domine.
A b omni malo	Liberanos Domine.
A b omni peccato	Libera.
	Ab ira.

A b ira tua	Libera?
A subitanea & improuisa morte	libera.
A b insidijs Diaboli	libera.
A peste & clade	libera.
A b ira, & odio & omni mala voluntate	libera.
A b appetitu inanis gloriæ	libera.
A spiritu fornicationis	libera.
A b immundis cogitationibus	libera.
A fulgure & tempestate	libera.
A morte perpetua	libera.
P er mysterium incarnationis tuæ	libera.
P er aduentum tuum.	libera.
P er natiuitatem tuam	libera.
P er baptismum & sanctum ieiunium tuum	libera.
P er crucem & passionem tuam	libera.
P er mortem & sepulturam tuam	libera.
P er sanctam resurrectionem tuam	libera.
P er admirabilem ascensionem tuam	libera.
P er aduentum Spiritus S. Paracliti	libera
I n die iudicij	libera.
P eccatores	Te rogamus audi nos.
V t nobis parcas	Te rogamus audi nos.
V t nobis indulgeas	Te rogamus.
V t ad veram poenitentiam nos perducere digneris,	Te ro-
gamus audi nos.	
V t Ecclesiam tuam Sanctam regere & conseruare digne-	Te rogamus.
ris	
V t Dominum Apostolicum & cunctum Ecclesiasticum	ordinem

ordinem in sancta religione conseruare digneris, Te
rogamus.

Vt inimicos Sanctę Ecclesię humiliare digneris, Te rog.

Vt regem nostrum in perpetua prosperitate conseruare
digneris Te rogamus.

Vt Antistitem nostrum in Sancta religione conseruare
digneris Te rogamus.

Vt Clerum & plebem S. Petri conseruare digneris, Te
rogamus.

Vt cunctum populum Christianum precioso sanguine
tuo redemptum conseruare digneris Te rogamus.

Vt nos famulos tuos in tuo sancto seruitio confortare &
conseruare digneris Te rogamus.

Vt seruitus nostra tibi placeat Te rogamus.

Vt omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona re-
tribuas Te rogamus.

Vt fructus terrę dare, & conseruare digneris, Te rog.

Vt omnibus fidelibus defunctis requiem æternam do-
nare digneris Te rogamus.

Vt nos exaudire digneris Te rogamus.

Fili Dei te rogamus.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Parce nobis Do-
mine.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Do-
mine.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Miserere nobis.

Christe audi nos.

Christe exaudi nos.

Kyrie

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster, &c.

Verf. Et ne nos inducas in tentationem.

Resp. Sed libera nos a malo.

Preces.

Verf. Domine peccauimus cum patribus nostris:

Resp. Iniuste egimus, iniquitatem fecimus.

Verf. Domine non secundum peccata nostra facias nobis.

Resp. Neque secundum iniquitatem nostram retribuas nobis.

Verf. Domine ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum.

Resp. Citò anticipent nos misericordiae tuae, quia pauperes facti sumus nimis.

Verf. Adiua nos Deus salutaris noster.

Resp. Et propter gloriam nominis tui Domine libera nos, & propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.

Verf. Domine ne simul tradas nos cum peccatoribus.

Resp. Et cum operantibus iniquitatem ne perdas nos.

Verf. Ne tradas Domine bestiis animas confitentium tibi.

Resp. Et animas pauperum tuorum ne obliuiscaris in finem.

Verf. Fiat misericordia tua Domine super nos.

Resp. Quemadmodum sperauimus in te.

Verf.

Verf. Oremus pro fidelibus defunctis.

Resp. Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis.

Verf. Requiescant in pace.

Resp. Amen.

Verf. Esto nobis turris fortitudinis.

Resp. A facie inimici.

Verf. Domine exaudi orationem meam.

Resp. Et clamor meus ad te veniat.

Verf. Dominus vobiscum.

Resp. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Exaudi quæsumus Domine supplicum preces, & confidentium tibi parce peccatis; vt pariter nobis indulgentiam tribuas benignus & pacem.

Oremus.

Deus, cui proprium est misereri semper & parcere, suscipe deprecationem nostrã, & nos, & omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis clementer absoluat.

Oremus.

Deus, qui non mortem, sed pœnitentiam desideras peccatorum, populum tuum, quæsumus, ad te conuerte propitius: vt dum tibi deuotus extiterit, iracundiæ tuæ ab eo flagella amoueas.

Oremus.

REge, quaeso Domine, me famulum tuum **N.** & intercedentibus, omnibus Sanctis tuis, gratiae tuae dona in me multiplica; vt ab omnibus liber offensis, & temporalibus non destituar auxilijs, & sempiternis gaudeam institutis.

Oremus.

Ineffabilem nobis Domine misericordiam tuam clementer ostende; vt simul nos & à peccatis omnibus exuas, & à poenis, quas pro his meremur, eripias.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui viuorum dominaris simul & mortuorum, omniumque misereris, quos tuos fide & opere futuros esse praenoscis, te supplices exoramus: vt pro quibus effundere preces decreuimus, quosque praesens adhuc seculum in carne retinet, vel futurum iam exutos corpore suscepit, intercedentibus omnibus Sanctis tuis, pietatis tuae clementia, omnium delictorum suorum veniam consequantur, Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, Qui tecum.

I N F-